INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

ANNI MDCCCXLVII—XLVIII A DIE XV. OCTOBRIS

INSTITUENDARUM.

Brunsbergae.
Impressit C. A. Heyne.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Quamquam multi in philosophia sunt loci, commilitones carissimi, de quibus quum magna in dubitatione versentur disputare possimus, perpauci tamen sunt ejusmodi, quos per exiguum, quod nobis indici habendarum scholarum praefantibus concessum est spatium, non perstringere sed pertractare liceat. Ex eo autem genere, quorum etiam pauculis paginis quodammodo absolvi possit disceptatio, est hic locus, quem jam declarabimus.

Est communis omnium fere psychologorum opinio, hominem et belluam non genere sed magnitudine et quasi gradibus inter se differre; id quod satis apparet e bipartita illa trilogia psychologica, quam suo ambitu cuncta phaenomena animae, quam eandem dicunt mentem, comprehendere putant. Sic enim sibi persuaserunt, inter sensum, quo quidem solo moveatur bellua, et intellectum, qui hominis proprius sit, itemque inter cupiditatem et voluntatem, quarum eadem ratio sit, nihil omnino interesse nisi quod intersit inter τό Inferius et τό Superius.[1]) Quae quidem opinio etsi jam tota falsa est atque ejusmodi, qua nihil esse possit perversius — id quod mathematica cum necessitate doceri potest —, sunt tamen psychologi, qui majore etiam hocce ducantur errore, ut belluae non solum sensum et cupiditatem sed etiam ipsum intellectum et voluntatem largiantur. Ait enim Herbartus his ipsis verbis, nimis negligi a psychologis nobilem naturam belluae; solo — ut hoc novemus verbum — egoismo hominis fieri, ut is sibi videatur tanto a bellua disclusus esse hiatu, quantum sine mortis periculo nemo transsilire possit. Namque diligente et accurata observatione cognosci, inter belluam et rudem nullaque cultura subactum et mitigatum hominem

---

[1]) Sic enim dicunt non docent: „Niederes = sinnliches = vernunftloses = thierisches, und höheres = übersinnliches = vernünftiges = menschliches Erkennen, Fühlen und Begehren." Praeter tria haec phaenomena etsi psychologi corporis quoque vitam organicam ad mentem sui sibi consciam et libera voluntate utentem referunt effectricem, plerique tamen totam biologiam rejiciunt ad physiologos et sic non integram et perfectam sed mutilatam tradunt psychologiam sive noologiam. Sed hoc quidem alio loco docebimus, quam temere et prorsus nulla ratione et via disputent psychologi, unde iis accidere necesse sit, ut ignorent, quam noscere volunt, vim et naturam mentis.

paululum admodum interesse; rudem hominem non magis ratione uti quam bestiam.[1] Atque hanc quidem opinionem Herbarti, qua a vita communi nihil alienius est, jam conabimur, commilitones carissimi, argumentis et certis rationibus refellere ac breviter docere totam inanem esse.

Primum igitur quanto in errore versetur opinio Herbarti, testis est vel gravissima illa, qua genus hominum valet, conscientia justi et injusti, boni et mali. Nam sanctissimus quisque sibi conscius est, jure sese bellua uti serva eaque vesci caesa, nefandum quum judicet perpetrare scelus, qui servitute vel ipsa morte afficiat hominem. Haec autem, quae est hominis, conscientia justi et injusti, boni et mali non magis vana dici potest quam ejus conscientia veri et falsi. Hoc enim qui velit negare, utriusque et boni mali et veri falsi aeque certam et firmam hominis notitiam esse, is demat homini necesse est quod ei demere absurdum est, conscientiam suimet ipsius. Sed haec ratio, quamquam ipsa per se vel optima est, attamen vix quidquam valebit contra Herbartum idque eam ob causam, quod ille suam propriam justi et injusti, boni et mali habet notionem. Etenim sublato, quem intelligenter Kantius constituit, „Imperativo categorico" Herbartus totam de moribus et virtute philosophiam non tam in morali quam in aesthetica lege niti vult.[2] Qui quidem error quum longiorem desideret disputationem, quam quae hoc loco institui possit, aliam inibimus viam ad refutandam Herbarti de natura belluae opinionem. Pervetere igitur hoc utemur argumento, ut, quod solus homo loquatur, eo doceamus belluam vivere vitae suae nesciam et ne tantillum quidem intelligentem quas perbene sentiat rerum. Neque enim ideo non loquitur bellua, quod nequit sed quod nescit loqui; hoc dicimus, quum duo insint in loquela et sonus et cogitatio, non quidem sono sed penitus caret bellua cogitatione sive intellectu. Nam quod dicunt certi corporum sectores,[3] belluarum linguam et os natura non ita comparata esse, ut illae loqui possint, id patet in promptuque est quam sit falsum, siquidem valere volunt in omnes. Sunt enim belluae, quae soluta lingua articulatos, qui vocantur, edant sonos; psittacos nostis et corvos aliasque aves non solum nomen domini sed plura etiam verba pronuntiare et quidem tam distincte et clare, ut hominem videri possitis loquentem. Sed soluta etiam lingua etsi plures audiunt tamen perpaucas tantum easque inculcatas plerumque et psittaci et corvi mittunt voces humanas, quum parvuli homines non inculcata sed sponte excepta imitentur verba. Tam cupide enim excipiunt ea, quae dicunt alii, ut nulla mater ignoret, coram loquacibus filiolis non loquenda, quae ipsius intersit latere vicinos. Ad hoc accedit, quod parvuli homines non

---

[1]) Vide quos scripsit libros: Kurze Encyklopädie d. Philosophie aus prakt. Gesichtspp. §. 141 sq. — Psychologie als Wissenschaft, neu gegründet auf Erfahrung, Metaphysik u. Mathematik. II, p. 2. 65. 223. 228. 238 sqq. — Lehrb. zur Einleitung in die Philosophie §. 159, p. 271. — Lehrb. zur Psychologie §. 61—65. 199. Qui quidem loci neque ipsi inter se neque cum iis, qui sunt §. 123 et 212 encyclop. tum §. 163 introduct. in philosophiam satis conveniunt. — [2]) Vide p. 51 et 78 libri, qui inscriptus est: Psychologie als Wissenschaft etc. tum §. 90—94. 128, p. 176. n. 1 introduct. in philosophiam. — [3]) Negant Camperus et Cuvierus, ajunt Rudolphius (physiolog. I, §. 32) et Burdachius (p. 646 sq. libri: Anthropologie für d. gebildete Publikum) posse loqui belluam.

servi sed liberi auditorum verborum imitatores sunt. Namque infinitivo, quem grammatici dicunt, verbi modo pro norma adhibito non irregulari sed regulari utuntur conjugatione. Quid quod fuerunt parvuli, qui neglecti a parentibus mercenariis proprio sibi invento sermone loquerentur, quae intelligeret nemo; id quod ille tantum pro ficta fabula habebit, qui adultae quam adolescentis curiosior humanitatis ignorat, quot inaudita verba sua sponte novent parvuli; quamquam philosophi est, cujusque rei primordia investigare.

Ex his igitur evidens est, posse quidem sed non scire loqui belluam, id est, non habere stupidam, quae sonis exprimat animo cogitata et intellecta quasque voces imitetur humanas, eas non verba, id est, notas rerum esse sed sonos inanes nulla subjecta cogitatione. Sed erunt, quibus nostra argumentatio non satis probetur. Negabunt enim, quod „κουφονόων φῦλον ὀρνίθων" non habeat, quae eloquatur, secum cogitata, inde cogi, eandem rationem esse belluarum quadrupedum. Quibus ut satisfaciamus, simias quoque, quarum cum homine jam ab antiquo poëta versu nobilitata [1]) similitudo ostentari solet, docebimus quamvis ἀνθρωποειδεῖς minime tamen ἀνθρωπονόους esse. Quum vero haec animalia perquam docilia etsi multas actiones nullas tamen voces humanas imitentur et corporum quoque sectores adhuc certent, possintne simiae an non possint loqui, hoc probabimus argumento, quantopere erraverit magnus Linnaeus, quum diceret: „vix unicam notam discerno, qua homo discerni a simiis possit; quod me attinet, dubius adhuc sum, qua nota characteristica troglodytae distinguantur a homine." [2]) Igitur Burdachio anthropologo teste illae simiae, quae omnium proxime ad similitudinem hominis accedunt, penitus carent arte nectendorum nodorum, perbene quum solvant nexos ab hominibus. Refert enim praeclarus anthropologus, duo illa genera simiarum, quae „Orang Utang" et „Schimpanse" plerumque vero uno nomine „Orangs" appellantur, perlibenter librare se per aërem funibus humana factis manu et destinatis ad arbores atque exsatiata cupiditate ludendi semper expeditis nodis solvere funes, nunquam vero revincire tentare solutos et jacentes. [3]) Hinc quidem intelligitur vel optime, „homines illos silvestres" [4]) non homines sive homunculos sed belluas esse. Quod enim nodos nectere nesciunt, inde certa conjectura assequimur, carere eos cogitatione sive intelligentia. Nam qui nectit nodum, is necesse est cogitatam et intellectam nodi imaginem habeat, ad explicandum nexum quum nihilo opus sit nisi ut solis oculis vel etiam manibus persequatur implicationem; hac quidem in re et somaticus et psychicus valet mechanismus. Tali enim mechanismo fieri dixeris, ut parvuli homines explicare possint quem nectere nesciunt nodum; sed hoc interest inter parvulum hominem et magnam simiam, quod ille quem solvit eundem reficere tentat nexum cupidusque discendi experiendo pervenit eo, quo nunquam ipsa per se et fortasse ne docta quidem a magistro pervenit simia. Ne vero — speciosius quidem quam verius — aliquis dicat contra, sapienter uti simias funibus destinatis ad arbores manu

[1]) Simia quam similis, turpissima bestia, nobis. Ennius apud Ciceronem de natur. Deor. I, c. 35. — [2]) Amoenit. acad. diss. 105 p. 66 et 176. cfr. Faun. Suec. praef.; Anthropomorph. p. 76 sq. — [3]) Vide quem jam diximus librum: Anthropologie.... p. 644 sqq. — [4]) Burd. ibd. p. 640. —

hominum, proprio quum abstineant labore, et propterea non revincire solutos, quod satiatae ludo nolint quod sciant facere, igitur hoc ne quis dicat, monemus, quod — eodem quidem anthropologo teste [1]) — tabernacula simiarum non tam artificiosa sed multo pejora sunt quam nidi sciurorum vel habitacula castorum extructa ad aquas, id satis argumenti esse debere, non intelligente eas judicio nec libero uti arbitrio sed solam hanc ob causam non tentare denuo religare funes solutos, quod nesciant quem non dubium est quin possint nectere nodum; etenim quae manus satis commodae sunt ad nodos explicandos, eae non plane incommodae dici possunt ad nectendos. Ex eodem genere est, quod simiae ut funibus ad libranda corpora sic ignibus hominum utuntur ad depellendum quod sentiunt frigus. Sic enim accidere narrant, ut simiae egressae e silvis circumsidant ignes, quos reliquerunt homines, atque hos eo usque imitentur, ut manus ad flammam porrigant sed non adhibentes, ante oculos et pedes quae sunt ligna et alimenta, abeant ignibus sponte extinctis. Quo quid fieri potest stupidius? At haec ipsa est natura belluae, ut quod rationis expers est et sensu tantum movetur, ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accommodet neque praesentibus adjungat atque annectat futura neque cursum rerum eventorumque cernat causas. Hinc igitur intelligitur, si simia docta ab homine ignem alit habilique manu versat veru, non cogitate et scienter eam cogitantis magistri exsequi jussa. Quod si vero quis isti narrationi diffidat: cetera quae diximus, praesertim vero ea, quae mox dicemus, satis docebunt, quam verum sit, quod defendimus.

Hac igitur ratione contra philosophum empiriae studiosum teste utendum ducimus empiria. At nihil agis, inquis, dum frangere studes sententiam Herbarti. Nam quod aviculas docuisti posse quidem sed non scire loqui, id diligens et prudens ille, quem oppugnas, observator belluarum concedit et ipse neque etiam illo quo plerique philosophi empirici tenetur errore, ut simiarum cum homine similitudinem urgeat, quippe quas libenter det non rationalia animalia esse, sed inde minime effici ait disputator subtilis, equos quoque, praesertim vero amicos et fideles canes expertes esse rationis; haec quidem animalia causas esse justissimas, cur non quidem persuasum habeat, sed tamen credat non nescire sed nequire loqui misera. [2]) Ad haec habemus quae respondeamus breviter. Est enim philosophi, non ex concessis neque *κατ᾽ ἄνθρωπον* sed *κατ᾽ ἀλήθειαν* disputare; Herbartus vero magis dixit quam docuit aves et simias nihil habere quod sonis exprimant mente cogitatum atque intellectum. Hinc ipsa res postulabat, ut ista quoque animalia doceremus vivere vitae suae nescia et somniculosas naturas esse eoque demum confecto negotio evinceremus, etiam canes non plus sapere quam ceteras belluas. Hac vero ratione tollitur, quam mira docilitas et fidelitas canum Herbarto attulit dubitationem, an ii tam misera animalia sint, ut animo prompta habeant, quae si possint, velint eloqui lingua. Igitur si canes non intellectu sed lingua et ore carent ad loquendum, cur tandem fit, ut ii non illa loquela utantur, qua evidens est eos uti posse? Hoc dicimus. Jam jubemus te sic alloqui amicum

[1]) Burd. ibd. p. 654. — [2]) Psychologie als Wissenschaft &c. II, 240 sqq. —

canem: miser animal, quod vales intelligendo sed non loquendo; namque ades appellatus nomine tuo atque intelligenter exsequeris jussa domini tui; sed ego tibi subveniam. Quod enim tu non potes ore, id certe mobili potes capite, ut huncce capitis mei imitatus motum adnuas et abnuas et hoc vicario vocis gestu ajas et neges quid et tali modo etiam incredulos credere cogas, affirmativo et negativo tete uti judicio. Itaque significato jam, haec ipsa mea verba, quibus ego tete nunc alloquor, num tu illa intellexeris an non intellexeris quid valeant? Ad haec tua verba si canis eo quo tu jubes modo respondebit, fateamur necesse est esse illum si non fratrem at certe fraterculum nostrum. Sed frustra exspectabis, dum canis suggestum a te edat signum humanitatis. Nam si ille non solum sensu verum etiam cogitatione aliquid perciperet, jamdudum, opinamur, fecisset, quod et parvuli et muti qui nati sunt faciunt homines, ut ipsi nullo magistro mutum quem diximus adhibeant sermonem. An nonne patet, quod rationis et mentis particeps est, id fore ut ipsum per sese expediat viam, qua prodat secum cogitata? Haec ipsa est enim vis naturae ratiocinantis, ut ipsa ex sese sua sponte moveatur neque pulsu agitetur alieno; quam naturam qui dicere velit nesciam, qua via prodat se, is ignorat, quid sit et valeat Ratio et irrationalem introducit Rationem. Quod quum dicimus, illud vix monendum est libenter nos concedere fieri posse, ut canes doceantur — quod idem non magnopere mirabimur si etiam pigri et stupidi docebuntur asini — ad certa quae dictitaveris verba eadem cum dexteritate, qua jusso tuo composito in terra corpore quietem mortis simulant, sursum deorsumve vel dextrorsum sinistrorsumve commovere caput et respondere dictis tuis; unum hoc defendimus, ut aves non plura imitentur verba quam quae audiverint dictitata, sic canes quoque non ad alia gestu tibi responsuros esse verba, quam quae praeiveris certisque nota feceris signis, sua sponte vero neque suggestum et inculcatum ne tantillum quidem fore quod respondeant interrogati.

Ad hoc argumentum, quo quidem uno jam satis videmur docuisse, etiam canes non participes esse cogitationis, addimus haecce. Non cogitant canes; carent enim vultu. Nam quantopere mulceant cauda, lingant lingua, quantopere laetentur jucundis, doleant injucundis: qui satis cogitate observat, non inconsideratius adspicit canes, is vegetis et argutis etiam in oculis belluinum agnoscet stuporem neque eos indices dicet mentis sui sibi consciae et aptae ex sese sed animae sibi non praesentis sed sentientis et abjectae atque abreptae in aliena, res dicimus objectas sensibus, quas etsi canes acriter vident non spectant tamen et intuentur cogitabundi. Atque hoc quidem uno, quod hominis oculi insignes sunt lumine tota sua quae est mentis, fieri dicimus, ut tu libero tuo vultu servum domineris in canem, et praevalidos audacesque territes leones, sanguinolentos tigres dirasque hyaenas.[1]) Sed quam nulla canis cogitatio sit, id etiam inde apparet vel maxime, unde quidem permulti cognosci putant, vel ipsos homines ab isto animali superari sapientia et animi pietate. Quod enim dicunt, fidelem canem immori in cor-

[1]) Burd. lbr. l. p. 671 sqq.

pore mortui domini, inde quidem intelligente ab homine intelligitur, non propria voluntate duci sed vi aliena trahi, hoc ut faciat neque liberum sed servum animal esse canem pedisequum. Nam ratione qui utitur pedisequus homo, is illacrimatur morti boni domini piamque defuncti servans memoriam servit ejus liberis vel alii aeque bono domino. At canis nescit, quid prodesse queat et quemadmodum domino non inanem sed veram referat gratiam atque tam patibilis natura et ita ipse nullus est, ut etiam a mortuo attrahatur neque possit superstes esse. Videsne, ut toto pathologico nullo voluntario et libero amore moveatur canis, quem grato et pio animo praedicant?

Quod ubi contra Herbartum evicimus, ne canem quidem rationis participem esse, sed ea penitus carere, ipsa res loquitur, quam vere vulgus hominum dicat, praeter unum hominem nullum in terra animal rationale esse. Nam si dubites, quod te experiri jussimus in cane, idem quum facili negotio experiri possis omnibus in belluis, ipsa integra atque incorrupta experientia judex ab omni liberabit te dubitatione.

Si vero jam quaeritis, commilitones carissimi, quo principio orta sit Herbarti de natura belluae et hominis opinio: ignorat acer defensor empiriae et disputator subtilis idem, quod ceteri omnes, quos quidem vehementer impugnat, ignorant psychologi et philosophi nostra aetate principes, non magnitudine sed genere inter se differre vivificantem, sentientem, imaginantem, cupientem animam atque scientem, intelligentem, volentem mentem; id autem ignorat propterea, quod non minus quam illi nescius est, quid sit sui sibi conscium quidque sentientem, quid intelligentem esse rerum, quid patibili et serva cupiditate, quid actuosa et libera valere voluntate. Haec enim, quam hominis propriam esse docuimus, scientia suimetipsius — ut de uno hoc dicamus, in quo quidem sunt omnia — quum contineatur cogitatiuncula voculae „ego“ sive „ego sum,“ Herbartus egologus tam praepostera utitur ratione, ut non sublata sed etiam adaucta perversitate egologiae Kantianae, Fichtianae, Schellingianae, Hegelianae, illam hominis scientiam suimet, quam ipsa ratio cogitandi clamat omnium primam esse atque ejusmodi, quae nisi subsit praesensque adsit nulla omnino esse possit scientia et cognitio rerum alienarum neque ullus motus spontaneus et facinus voluntarium, non primo sed secundo ponat loco neque integrum quid totumque aptum quod sit ipsum ex sese statuat, sed a „mechanismo psychologico“ repetat auctore. Sic enim sibi persuasit, τό ego sum exoriri ex multitudine imaginum patibilibus perceptarum sensibus earumque inter se conjunctione et quodam complexu et conflictu, validissima et vividissima sensatione et imaginatione contineri defendens hominis scientiam suimet.[1] Quasi vero aquila, cujus acies oculorum in proverbio est, non aeque nescia esset suae telescopiae ac musca microscopiae! Et hinc quidem, quod pleraeque belluae praeter unius tactus subtilitatem ceteris omnibus fere sensibus multo superant hominem, plane intelligitur et sole clarius est, quam nihil dicant illi, qui quum post sensum esse et vigere incipere videant intellectum,

[1] Vide librum: Psychologie als Wissenschaft rc. §. 24 — 32. 36 sqq. 57. 94. 104. 111. 118 sqq. 126 sq. 131 — 138. — Lehrbuch zur Psychologie §. 39 — 43.

temere admisso, quem logici „post hoc vel cum hoc ergo propter hoc“ dicunt, paralogismo pugnant, nihil esse in intellectu, quod non fuerit in sensu, id est — rem si quaeris — ex nescio et sui et alieni sensu conscium utriusque nasci intellectum, atque ex coeca et serva alienorum cupiditate liberam suorumque propriorum consiliorum dominam exoriri voluntatem.[1]) Tali igitur errore quum teneretur Herbartus, non delatus sed deductus est eo, ut belluas miserandos fratres hominis esse crederet.

Hoc vero quum ita sit, ut ex egologia tota pendeat atque apta sit psychologia et noologia, etiam atque etiam admonemus vos, commilitones, ut acri et indefesso studio noscatis penitusque perspectum et intellectum habeatis, quid sit et valeat cogitatio „ego“ sive „ego sum,“ id est, quid sit sui sibi conscium esse atque intelligentia rerum et libera agendi uti voluntate, neve timeatis, quod cum Kantio[2]) nimis timuit Herbartus[3]) magnaque multitudo philosophorum, ut dum homo noscere studeat semetipsum, sano in corpore sana maneat mens; quamquam parens philosophiae recentissimae Kantius ait et ipse, uno hoc, quod praeditus sit sensu interno sive scientia et cognitione suimet, hominem esse hominem.[4]) Hoc igitur nolite valde pertimescere. Tametsi enim non facile est noscere semetipsum sed magnam res habet difficultatem, attamen minime Herculei sed — Socrate vel ipso Kantio teste — vere humani laboris est. Cur autem vos tam graviter et severe admoneamus, ne cum plerisque psychologis „objectivam“ quam „subjectivam“ amplexari malitis scientiam, hanc habemus causam justissimam et gravissimam, quod quum vestro studio theologiam amplexi sitis, una hac ratione — quae quidem vere dialectica ideoque sola non inanis sit — contra importunum Pantheismum defendi et teneri potest Theismus, ut patefacto, quo vulgaris psychologia sive noologia prava est errore — quod quidem psychologi intellectum non solvunt ab sensu — et quo non sublato sed pro fundamento posito πρώτῳ ψεύδει totius philosophiae Hegelius dialecticus summa quam logici imperitant cum consequentia „Monismum essendi“ sive „Pantheismum Spiritualismi“ constituit,[5]) igitur ut hoc patefacto errore psychologico atque animae sive corporis animati et quae ab omni concretione soluta ac libera est mentis humanae cognito Dualismo, a mente humana, quae quum sui sibi conscia sit, ne possit quidem esse nescia, se non esse ipsam per se, „via aseitatis et causalitatis“ per summam cogitandi necessitatem per-

[1]) Ipse secum pugnat Herbartus contradictione quae vocatur in adjecto patente, quod quum hominis scientiam suimet totam pendere defendat ex sensatione et perceptione rerum externarum, attamen adsentit Leibnitio Lockianum illud: „Nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu“ sapientibus hisce corrigenti verbis: „excipe: nisi ipse intellectus.“ Non latentius vero pugnantia loquitur tum, quum quod sit homo, negat, quod vero sciat esse sese, ait pendere ex rebus sensis. Vide Psychologie als Wissenschaft rc. I, p. 42 et 67. 50. — [2]) Vide librum: Immanuel Kants Vorlesungen über die Metaphysik 1821 p. 135. — [3]) Psychologie als Wissenschaft rc. I, p. 42. — [4]) Opp. I, p. 72. 90 501. cfr. XI, p. 57 ed. Rosenkr. et Schubert. — [5]) „Die Bestimmung der neuern Philosophie, daß der Geist die Einheit mit sich selbst ist und die Welt als Ideelles in sich faßt, nennt man Pantheismus oder näher Pantheismus des Spiritualismus.“ Hegel Religionsphilosophie I, p. 325 Ausg. 2.

veniatis ad mentem absolutam sive divinam, quae ob hoc ipsum, quod sit absoluta et ipsa secum contenta neque egeat altero, non ipsa insit et in nescia sui natura rerum et in conscio sui homine, sed quae et hominem et quidquid sit rerum creaverit ex nihilo ac voluerit esse ejusmodi, ut non Infinitatis divinae finita et evanida phaenomena vel momenta, ipsa vero omnino nulla sint, sed ut suam et propriam non alienam vivant vitam; hanc igitur ob causam jubemus vos adhaerescere scientiae et cognitioni reflexivae, ne falsis sumptis principiis atque ignorata vi et natura mentis humanae pro Absoluti ponatis notionem Infiniti et sic ab ipsa necessitate logica hominem ex homine et Deum ex Deo tollere et cum ratione insanire cogamini. Atque haec nunc quidem vos non doctos sed monitos volumus; debebitis vero credere, ut possitis intelligere. Sapienter enim non modo christianus verum etiam gentilis isque ingenii acumine praesignis magisterque intelligendi qui habendus est aït philosophus, tironem scientia multa credere oportere ut possit scire.[1])

---

[1]) Augustin. de ordine II, c. 9. Aristot. Eth. Nic. VI, c. 11.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGICI.

ANTON. EICHHORN, Dr. P. P. O. h. t. DECANUS.

I. Historiam ecclesiasticam medii aevi narrabit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis h. IX—X.
II. Jus canonicum tradet diebus Lunae, Martis et Jovis h. III—IV.
III. Antiquitates ecclesiasticas diebus Veneris et Saturni h. IX—X.

PETR. THEOD. SCHWANN, Dr P. P. O. h. t. RECTOR.

I. De Deo et divinis attributis disseret diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. VI—VII.
II. Doctrinam Christianam de gratia et justificatione tradet iisdem diebus h. X—XI.
III. Exercitationes repetitorias et examinatorias instituere perget d. Mercurii h. X—XI.

MICH. JOS. KRUEGER, Lic.

I. Introductionem generalem in libros sacros diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. X— XI docebit.
II. Vaticiniorum Jesaiae partem priorem interpretabitur diebus Martis, Jovis et Saturni h. VIII—IX.
III. Epistolas Paulinas datos ad Galatas, Ephesios, Philippenses et Colossenses explicabit diebus Mercurii et Veneris h. III—IV.

JOAN. GEORG. SMOLKA, Lic.

I. Ethices christianae catholicae partem alteram tradet diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis h. XI — XII.
II. Evangelium S. Joannis explicabit diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. VIII—IX.

B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

LAUR. FELDT, Dr. P. P. O. h. t. DECANUS.

I. Exercitationes geometricas moderabitur praemissa introductione de studiis mathematicis recte ordinandis diebus Lunae et Jovis h. XI — XII.
II. Theoriam generalem linearum et superficierum curvarum tradet diebus Lunae et Martis h. II — III.

III. Physicen experimentalem docebit, et conversatorium de rebus physicis instituet diebus Martis et Veneris h. II — III.

IV. Astronomiae elementa ita explicabit, ut ab iis etiam, qui mathesi sublimiori discendae non dederunt operam, intelligi possint, diebus Martis, Mercurii et Veneris h. XI — XII.

CAROLUS BIESTER, P. P. O. Des.

I. Taciti Germaniam interpretabitur diebus Lunae, Martis et Jovis h. II—III.

II. Euripidis Phoenissas interpretabitur diebus Mercurii et Saturni h. IX—X.

III. Collegium stylisticum practicum habebit diebus Lunae et Jovis h. IX—X.

MAX. TRUETSCHEL, Dr. P. P. E.

I. Psychologiam empiricam docere perget quater per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hor. vespert. V—VI.

II. Metaphysicam docere perget quater per hebdomadem iisdem diebus hor. matut. VIII—IX.

III. Aristotelis de anima libros offert interpretandos bis per hebdomadem diebus Veneris et Saturni h. VIII—IX.

IV. Exercitationes repetitorias et examinatorias instituet die Saturni h. XI—XII.

CAROLUS CORNELIUS.

I. Historiam Franciae ab anno 1774 usque ad annum 1830 quaternis per hebdomadem diebus hora VIII — IX enarrabit.

II. De Carmine epico „der Nibelunge Nôt“ semel per hebdomadem.

III. Carmina selecta Waltheri von der Vogelweide tractabit semel per hebd.

STIPENDIUM SCHEILLIO-BUSSIANUM.

Quaestio a Lyceo Regio Hosiano ad certamen litterarium anni MDCCCXLVII — XLVIII proposita:

„Qualis per prima quatuor saecula ecclesiae christianae fuerit methodus administrandi sacramenti poenitentiae.“

Praemium constitutum est XXI Imperialium. Tempus exhibendarum scriptionum terminatum est d. 21. Jul. MDCCCXLVIII.